

# TITULUS I

## DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS IN GENERE

726. **Ecclesia habet jus acquirendi et possidendi bona temporalia.** Ex jure publico, probatur Ecclesiam esse societatem perfectam, a qualibet alia societate independentem, et omnibus mediis instructam unde summi finem consequatur. Atqui ad cultum Dei et salutem animarum, aedificanda sunt templa et altaria, comparanda ornamenta et vasa sacra ad divinum cultum spectantia; alendi sunt episcopi, presbyteri et ministri qui Ecclesiae inserviunt; clerici in litteris et bonis moribus sunt instituendi, etc., que omnia sine magnis sumptibus fieri non possunt. Unde Ecclesia ex sua constitutione et divini Fundatoris voluntate, *independentiter a societate civili*, habet jus possideundi bona sive mobilia, sive immobilia. <sup>(1)</sup>

1<sup>o</sup> Hinc in Syllabo damnatae sunt propositiones 26<sup>a</sup> et 27<sup>a</sup>:  
“Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.”

“Sacri ministri Ecclesiae, Romanusque Pontifex ab omnibus temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.”

2<sup>o</sup> Hinc sequitur legem *amortizationis*, qua generatim statuitur ne res immobiles *in manus mortuas*, nempe in ecclesiis seu alia loca pia, *sine consensu potestatis civilis*, transferantur, non modo *iniquam* esse et Ecclesie *injuriosam* sed *de se invalidam* esse ob defectum jurisdictionis. Nam jus quo pollet Ecclesia acquirendi et possideundi congruam dotem est divinum et minui nequit auctoritate inferiori. Cf. Cavagnis, Institutiones Juris Publici, lib. II, cap. 2, num. 368 et seq.; Bargilliat, vol. II, num. 1345.

<sup>(1)</sup> Probatur etiam ex modo auctandi Ecclesiae. Nam Ecc. nigrum errare in ea spectantia ad fidem, mores et disciplinam. Atque semper Ecc. vidicavit sibi *jus acquirendi et possidendi bona temporalia*. Ex o...